



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mysticvm Heliotropivm Hoc Est Selectæ Indvstriæ Ad Unionem Cum Deo consequendam

Gianotti, Alfonso

Ingolstadii, 1658

Quam Proportionem & dispositionem à corrupta nostra Natura habeamus
ad obtinendas prædictas Gratias.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51801](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51801)

gloriam & beatitudinem, æternam
ea perseveraturi; quia, licet de factis
Deus Sanctis suis æternam gloriam
impertiat, ut promissum suum adim-
pleat, aut ita legi iustitiæ satisfaciat;
hoc tamen omne contingit & prove-
nit ex supposita gratuita & liberali
ipsius promissione, aut ex suppositis
liberis decretis multisque præceden-
tibus gratijs, sine quibus nullo modo
ex nobis ipsis habiles sumus ad glo-
riam illam obtinendam aut continua-
andam; quæ res ipsos etiam Beatos
conservat in humilitate & reverentia
erga Dominum DEVM, summam
ipsorum Beatitudinem.

QVAM PROPOR-
TIONEM ET DISPOSITIONEM
à corrupta nostra natura ha-
beamus ad obtinendas prædictas
Gratias.

i. Non

1. **N**on sumus sufficientes ex nobis solis ad aliquo modo cogitandum, nedum ad operandum aliquid supernaturale.

2. Habemus positivam aliquam & nimis magnam inclinationem ad cogitationes & affectus terrenos, hoc est, ad bona sensibilia corporis, honoris, astimationis, divitiarū &c. quod ipsa experientia continua tam in nobis, quam in alijs clarè demonstrat tempore distractionum, tentationum & motuum sensus.

3. Habemus positivam repugnantiam & aversionem à rebus spiritualibus, maximè ab illis, quæ secum ferunt circumstantiam aliquam sensualitatis nostræ & amoris proprio contrariæ; ex quo fit, ut tantâ cum difficultate anima suscipiat, aut contineat vitæ spiritualis exercitia.

4. Ingentem habemus inclinationem ad arrogandum nobis, siquid boni

boni facimus, aut dicimus, aucupantes simul vanam gloriolam & complacentiam.

5. Licet in gratia Domini Dei nostri, etiam intensissima, & per centum annorum spatium perseveraremus, tamen ultimo die centesimi anni non haberemus ex nobis solis maiorem aptitudinem & dispositionem ad obtinendam aut continuandam predictam gratiam, quam primâ horâ primi anni habuerimus; sicut aër post tot millia annorum quotidiano Solis lumine illustratus non magis dispositus est hodie ad habendam aut retinendam lucem, quam primo die suae creationis dispositus fuerit.

**QVALE MERITVM ET
DIGNITATEM HABEAMUS
ad obtinendas à DEO
supradictas gratias.**

I. Nos